



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Impurus cælibatus clericorum. tit. 296

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

& schisma & inobedientiam, qua quotidie sumunt sacramentum? cur non tot spoliationes pauperum, bella, homicidia, quæ omnia ex illorum schismate veniunt? cur non perpendunt, quàm extinxerunt charitatem, concordiam, famosis libellis, chartis, conspirationibus, &c. Unde iniquitas iam abundat, Matth. 24. & quasi in reprobū sensum dati sunt, Roma. 1? At exierunt à nobis, quia non erant ex nobis, 1. Ioan. 2. Non ergo propter peccatum faciendum est aliquod schisma. Est enim schisma grauius peccatū vllō alio peccato: priuat enim hominem efficacia fidei sacramentorum, Aug. lib. 1. contra Donatistas, ca. 12. probat ex Euāgelio de seruo neouam Matt. 18. schisma esse peccatum grauius idololatria. idq; Augustinus vbi supra cap 8. probat ex punitione idololatriæ vituli, Exod. 32. & hiatu terræ, Chore, Dathan, &c. Num. 16. Non ergo habent iustam causam sui recessus sectæ.

IMPURUS CAELIBATUS

clericorum.

TITVLVS CCXCVI.

Causa 7.



Optimam causam recessus prætendunt sectæ, esse impurum cælibatum clericorum, quod prohibemus coniugium sacerdotibus & religiosis personis, & de mus occasionē varijs libidinibus contra Deum & propriā conscientiam, propter quæ etiam Deus varijs plagis punit mundum, sed quoniam fornicatores odit & damnat Deus, Heb. 13. & nos illos esse spiritus qui prohibent coniugia, 1. Tim. 4. idè ipsi omnibus suis mēbris, qui non in corpore habent defectum, ad coniugium permittunt siue sint sacerdotes, siue Monachi, aut moniales, &c. vt nubunt, non curantes nec vota nec regulas, aut cappas. Deus non præcepit vouere, nec prohibuit vxorem ducere qui

corpo-

corpore aptus est, & quoniã videmus, in quiunt, tam impurum cęlibatum, idẽ recessimus.

Primò, impuritatem illam nemo probat omnes concedimus quod sit damnabile vitium: ob id nemo etiam compellitur ad sacerdotium, aut Monachatum, sed prædicitur illi, si talis esse vult, & sic cęlebs vivere, tunc suscipiat officium aut ordinem, & talis etiam laudatur à Christo Matth. 19. sunt qui se castra uerunt propter regnum Dei, id est, vt melius & expeditius Euangelium denuncient, vt contemplationi diuinæ liberius vacent, orare, ieiunare, Deo seruire melius possint, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 7. Qui sine vxore est cogitat, quæ Domini sunt ad retinendam iustificationem, & cætera. At iam voto facto, dicere se non habere corporis defectum, & sic velle nubere, hoc fit licentia hæretica, non Euangelica. Christus dicit Luca. 9. Nemo mittens manum ad aratrum & cæt. Multi sancti viri, Ioannes Baptista, & Ioannes Euangelista, & alij, & multæ sanctæ virgines, Katharina, Barbara, Agnes, & cæt. non habuerunt defectum corporalem ad coniugium, attamen propter fidem in Christum & regnum cælorum noluerunt nubere, sed castitatem fidei & corporis seruare.

Secundò, si votum castitatis nihil est, cur Paulus damnat viduas adolescentiores volẽtes post primam fidem nubere, 1. Tim. 5. Cur Christus præcipit Matt. 5. sit verbum vestrum, Est est. Non non. Et cur scriptura iubet vouere & reddere. Eccles. 5. Psalm. 75. At inquires: Nemo vouere debet, quod nescit an seruare possit. Respondeo, nullum votum à nobis fit, quasi possimus hoc & valeamus ex naturæ nostræ viribus facere quod vouimus, sed vouemus pro posse per adiutorium diuinum, vt ad Colossen. 4. Omnia possum in eo qui me confortat, & 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes ex nobis cogitare, & cæt. Sic vouens in baptismo se credere in Christum, & se recusare pompas

pompas sathanæ, an hoc præstat ex solis viribus? ab-
sit, sed ex adiutorio Dei. Nemo ergo iouit nec Deo,
nec iurat magistratui, nec vxori supra proprias vi-
res. Deus ergo dat continentiam, amanti castitatem,
sicut dicit Sap 6. Nō possum esse cōtinens, nisi tu De-
us dederis. Hæretica ergo libertas soluit votū Deo &
Ecclesiæ factum, iuramēta Magistratui facta, & pro-
missiones coniugatorum, &c.

Terriō, quōd hæretici obijciunt, quod monachi
tribuant meritum remissionis peccatorū & vitæ æter-
næ, castitati, falsum est. Nam castitas non est Chri-
stus, nec passio Christi, sed fructus Spiritus sancti, Ga-
la. 5. qui iustificato, tribuitur ad retinendam iam in
baptismo distributam iustificationem: præluceat fides
passionis Christi, omnibus operibus bonis & virtuti-
bus &c. Quàm tuti etiam sint, qui post votum castita-
tis emissum, iterum propria præsumptione redeunt
ad vomitum seu nuptias, 2. Pet. 2 & Prouer. 26. sicut
canis &c. ipsi videant, quādo non multum sunt dif-
similes illis, qui relicta priore vxore, ad alteram sine
licentia, sed propria temeritate accedunt, & quoni-
am proprium est hæreticorum secundum Hierony-
mum, quōd sunt luxuriosi, idē mirum nō est, quōd
tantum pugnant pro coniugio: sed videant, quomō-
dō coram iudicio Dei de tam execrabili stupro reli-
gioforum, vbi Monachi ducunt moniales, reddant
rationem: Etsi in principio nascentis Ecclesiæ coniu-
gati admittebantur ad coniugium ob defectum per-
sonarum, nunquā tamen existens in sacerdotio tem-
pore Euangelij, potuit ducere vxorem, sed quid lo-
quor de modernis sectarum sacerdotibus, cū ipsi
non sint sacerdotes, &c.

QVOD TRADITIONES
iustificant.

TITVLVS CCXCVII.
OCTAVA